

*Guglielmo Ruffo ricostruisce
con l'aiuto di alcuni testimoni
il suo patrimonio immobiliare
tra Palizzi e Bruzzano Vecchio*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Guglielmo Ruffo ricostruisce
con l'aiuto di alcuni testimoni
il suo patrimonio immobiliare
tra Palizzi e Bruzzano Vecchio*

1331-01-04

In nomine Domini amen. Anno ab incarnatione eiusdem millesimo trecentesimo trigesimo, die quarto, mensis ianuarii, quarte decime inditionis apud Giracium. Regnante serenissimo domino nostro rege Roberto, Dei gratia inclito Ierusalem, et Sicilie rege, Ducatus Apulie, et Principatus Capue, Provincie, Forcalquerii, ac Pedemontis comite. Regnorum nostrorum anno vigesimo secundo feliciter amen.

Nos Fulco Luciferus, et Lambertus Luciferus baiuli civitatis Giracii, Ioannes de Franchica iudex civitatis eiusdem, Thomasius de Sylvestro eiusdem civitatis Giracii regius publicus notarius, et testes subscripti, ad hoc vocati specialiter et rogati. Presenti scripto publico notum facimus et testamur, quod vir nobilis dominus Guglielmus Ruffus de Calabria miles, Veteris Brutiani dominus in nostra presentia constitutus, exposuit coram nobis quod cum ipse habeat, teneat et possideat terras infrascriptas, prout inferius designantur particulariter et destinate in pertinentiis Palitii et Presiceti, et pertinentis de tenimento Veteris Brutiani et dubitat, ut asseruit, ne contra eum vel suos heredes alio tempore, pro infrascriptis terris a nonnullis hominibus lis seu questio moveatur. Infrascripti testes sunt homines antiqui et senes, qui sciunt bona ipsa esse dicti militis, et ad eundem militem, tam quam dominum dictorum locorum Palitii et Presiceti pertinere, dubitat idem miles de morte ipsorum testium pro eo quod sunt senes et homines antiqui ne antequam lis eidem militi inferretur, ipsi testes morte, ut Deo placuerit perirent, requisivit nos, dictus miles nec non et baiulos et iudicem ex parte regia, nostrum qui supra baiulorum et iudices officium implorando, voce sua rogavit ut testes ipsos coram nobis

accersiri faceremus, recepto prius ad unoquoque ipsorum testium ad Sancta Dei Evangelia corporaliter debito iuramento, super expositione eiusdem militis, semotim et singillatim recipere, et examinare deberemus, nec non dicta in depositionibus inscripta redigi faceremus diligenter, et de eorum dictis et depositionibus ad sui cauthelam et perpetuam firmitatem facere deberemus publicum instrumentum. Cuius requisitionibus iustis ut pote annuentes et maxime cum iusta petentibus non sit denegandus assensus omnes et infrascriptos testes per eundem militem coram nobis productos Basilium Spano, Nicolaus Marinum, Petrum Cirafa, Philippum Danga, Nicolai Armeni, Iordanum Marcum, Madium Palamenti, Leone Bisanti, Nicolaum Foti, et Philippum de Ioannem Pictorem, et recepto prius ab unoquoque ipsorum testium, de veritate dicenda, ad Sancta Dei Evangelia corporaliter debito iuramento de iis que scirent super expositione dicti militis, semotim et singillatim recepimus et examinavimus diligenter. Quorum testium nomina et cognomina et depositiones ipsorum fideliter redigi fecimus. Quorum testium nomina et eorum depositiones, et dicta in presentem publicam formam, per me predictum notarium publicum sunt redacta modo subscripto videlicet. Basilius Spano iuratus et interrogatus si sciret quamdam petium terre sitam in tenimento Veteris Brutiani, in loco dicto Buthena, cum petia terre ex uno latere est terra Guglielmi Cutrunei, et ex alio latere est flumen Palitii, et ex alio latere est quoddam vallonem, et alios confines esse ipsius militis dixit quod sit. Item interrogatus dixit se scire quod terra capax in semine frumenti tumuli unius, que est iuxta terram rhegine ecclesie, et alios confines quam olim tenebat Nicolaus Barberi esse eiusdem militis

exponentis, dixit quod sic. Item iuratus et interrogatus si sciret quod omnes terre que dicuntur de Persiceti sunt eiusdem militis, dixit se scire quod omnes predicte terre, que dicuntur de Persiceti, sunt eiusdem militis, excepta terra quartarunorum trium que est Aliene de Vitita. Item iuratus et interrogatus dixit se scire quod omnes terre dicte de Rigani sunt eiusdem militis, excepto terra tumulorum duorum que est Nicolai de Alania, nec non quartarunorum quinque que est Iacobi de Mentana. Item dixit se scire quod omnes costere que dicuntur di Miltano sunt eiusdem militis exponentis, que sunt iuxta terras Iordani Valderi, et Serram Guardie, et alios confines. Item dixit se scire quod habet idem miles in loco dicto Sinone terram capax in semine frumenti salme unius, iuxta terram Iordani Balderi, et terram protopape Palitii, et alios confines. Item in loco dicto Donata alie terre que sunt eiusdem militis, a terra Menzura usque ad vallonum de Spirlingati. Item et costere de Ostrolepti, quas aperuit protopapam Palitii, sunt eiusdem militis. Item in Copana de Arra terra una que est iuxta Arenam, que est eiusdem milites. Item in loco dicto Sicamino, terra una, quam tenebat Nicolaus Spatarius, que est eiusdem militis. Item in loco dicto Ozili, terre omnes quas tenebat protopapa Palitii, sunt eiusdem militis, excepto terra capacitatis in semine unius tumuli, que est eiusdem protopape Palitii. Item in eodem loco, dicto Ozili, est eiusdem militis terra una que fuit filiorum Caratore, que est iuxta terram Petri, et terram Abbatie viatim. Item vinea una quam tenebat protopapa Palitii, que est iuxta Petram Palitii, et vineam dicti militis, esse eiusdem militis. Item in loco dicto Aira de Sina habet protopapa Palitii terram capacitatis in semine frumenti tumulorum trium, alie terre posite ibidem, sunt eiusdem

militis. Item in loco dicto Marli est, eiusdem militis, terra
 capacitatis in semine tumulorum duorum et dimidii, ex
 uno latere est terra Philippi Cutrunei, et alios confines
 quam tenebat Philippus Malepunti. Item dixit se scire
 quod terre de Aeri sunt dicti militis. Item in loco dicto
 Thamumbolo habet idem miles terram quartarunorum
 trium iuxta terram Iordani Valderi, et terram Philippi
 Scripsi, et alios confines. Item in loco dicto lo Iardino
 habet idem miles terram tumulorum sex, iuxta terram
 Bubalini, et aliam terram eiusdem militis que vocatur de
 Anastasi, et alios confines. Item in loco dicto Anastasi
 habet idem milis terram tumulorum quatuor iuxta viam
 publicam quam, tenebat Andreas Margariti. Item in loco
 dicto Matinali sunt eiusdem milites terre quas aperuit
 Constantinus Armeni. Item scire eiusdem militis, in loco
 dicto viniale, iuxta viniale Iordani Balderi, vineam seu
 terram tumulorum quinque quam aperuit Nicolaus Spano
 et Nicolaus Vinolisi. Item in loco dicto de Munta sunt
 eiusdem militis terre silvestres tumularum quinque quas
 aperuit presbyter Ioannes Pittari et Franciscus Calardus,
 iuxta terram Philippi Tuldi, et iuxta terram abbatis
 de Scilla, et terram Iordani Balderi, et alios confine.
 Item terram unam capacitatis tumulorum novem, que
 dicitur de Cuzzonari, esse eiusdem militis quam aperuit
 Nicolaus Foti. Item dixit se scire quod sunt eiusdem
 militis costerie Magniliti et costerie Olive quas aperuit
 filius Cagillonie. Item dixit se scire quod sunt eiusdem
 militis terre de Ielo, quas aperuit iudex Nicolai Pullisius
 et Nicolaus Foti. Item dixit se scire quod sunt eiusdem
 militis costerie omnes dicte de Volona Silvestres, quas
 aperuit Nicolaus Lapusa et Ioannes Venincasa. Item
 dixit se scire quod costerie terrarum Sancti Miliani sunt
 eiusdem militis. Item quamdam petiam terram sitam in

Santo Miliano, quam tenebat Andreas de Castro Maris, que erat domini Sismundi de Messana, esse eiusdem militis. Item dixit se scire quod terra una dicta de Santo Miliano, quam tenebat Nicolaus Cappellus, est eiusdem militis. Item dixit se scire quod petia una terre, quam tenebat Ioannes Murla, que dicit Amusa, que est iuxta terram Pittari at alios confines, est eiusdem militis. Item dixit se scire quod terre que dicuntur de Spirlingari, quam tenebat Nicolaus Gemollari sunt eiusdem militis. Item dixit se scire quod terre dicte de Limato sunt eiusdem militis, que sunt iuxta terras Petri de magistro Philippo. Item dixit se scire quod costerie que dicuntur Santi Nicolai de Pateno, sunt eiusdem militis. Item dixit se scire quod costeria que dicitur de Munta quam tenebat Nicolaus Aterni, iuxta terram notarii Confise, est eiusdem militis. Item dixit se scire quod costerie, que dicitur de Munta et petia una terre que dicitur Scopa, quam tenebat Leo Pollastri villanus dicti militis, que est iuxta terram Andree Margariti et terram ecclesie Mileti, et alios confines, est eiusdem militis. Item sunt eiusdem militis medietates terrarum pro indiviso existentium in partibus dicti Veteris Brutiani, quam tenebat Michael frater quondam presbyteri Constantini, Protopapae Palitii, qui fuit in Sicilia. Item est eiusdem militis terra una que dicitur de Campovenere, que fuit iudicis presbyteri Ioannis Ostelapsi villani curie dicti Veteris Brutiani, nam ex uno latere est terra Bartholomei Baglianisi, et alii confines. Item dixit se scire quod terra una sita et posita in eodem loco dicto Campovenere, quam tenebat protopapa Palitii, que fuit Basilii Spatari et fratuum villanorum, quorum unus ex ipsis recessit et ad partes Sicilie suum transtulit incolatus, que est iuxta terram Barthotti Paglianisi. Item in loco dicto

Crunito sunt eiusdem militis terre que sunt iuxta terras Galvani, et alios confines, in quibus protopapa Palitii habet terram capacitatis tumulorum quinque. Item in eodem loco dicto Cruniti habet idem miles terras que sunt iuxta terras Calvani de Stilo, que terre Calvani de Stilo sunt capacitatis in semine frumenti tumulorum quatuor. Item in loco dicto Vuni habet Petrus Pici terram tumulorum quinque alie terre que sunt in eodem loco, sunt eiusdem militis. Item in eodem tenimento tenet Abbatia de Venita terram tumulorum duorum, alie terre ibidem existentes sunt eiusdem militis. Item in loco dicto Luniminari habet Petrus Pici terram capacitatis tumulorum trium, iuxta terram Bubalini, alie terre ibidem existentes sunt eiusdem militis. Item in loco dicto Munta habet Procopi Manzini terram capacitatis in semine frumenti tumulorum octo, alie terre posite in eodem loco sunt eiusdem militis, que sunt in parte inferiori. Item in loco dicto de Spatia sunt eiusdem militis terre superiores. Item interrogatus dixit se scire quod terre, que dicuntur de Tazzuna, que dicuntur esse Bernardi et Iordani Balderi, sunt eiusdem militis quas aperuerunt Iacobus Faselus et Philippus Cuccumeni. Item dixit se scire quod sunt eiusdem militis terre que sunt in Sancti Miniano, que fuerunt Bernardi de Magistro, quas aperuerunt Benvanni et Rubertus de Gruzza. Item terra que dicitur de Panarella, quam tenebat Rogerius Romanus, que fuit presbyteri Ioannis Ostalopsi, cum fratris ad partes Sicilie suum transtulit incolatum. Item dixit se scire quod terra quae dicitur Sullaria, in loco dicto Pulliti, que fuit Marsuta villani quondam domini Georgii de Zaccaria, est eiusdem militis. Item in casali Filagna est eiusdem militis petia una terre dicta de Nicola que est iuxta terram Ecclesie Santi Petri, et alios

confines. Item terra una tomulorum quatuor que dicitur de Mutha est eiusdem militis sita in tenimento Bove, que est iuxta terram rhegine ecclesie. Item dixit se scire quod petia una terre, que est supra vinea Petri Pici et inde potenditur usque ad terram Nicolai Maruni et de Giudano, est eiusdem militis. Item viniale unum quod tenebat Mattheus de Sarda est eiusdem militis, quod fuit Christofari Pittari villani ecclesie. Item terra una de Mutha et super terram de Mutha est petia una terre, eiusdem militis, que fuit villani Curie, et inde protenditur usque ad terram Apustofari. Item dixit se scire quod quedam petia terre est eiusdem militis que est posita in loco dicto Filanga, que est supra vineam Iacobi Paulaniti, et terram dicti militis, et iuxta terram rhegine ecclesie, quam tenebat Petrus Pici et Bernardus Pici, que fuit Trophi villani curie. Item dixit se scire quod petia una terre vinearum, posita in loco dicto Platopodi, que fuit de excadentia dicta Platopodi villani curie, que est iuxta vineam Armathi, et vineam Franceschini Lumbardi, est eiusdem militis. Item petia una terre posita in loco dicto Mathe, est eiusdem militis, quam tenebat Leo Tafilami, que est iuxta terram Petri Paoliniti, et terram aliam dicti militis que fuit Nicolai Sinaterra villani curie terre Palitii, qui ad partes Sicilie suum transtulit incolatum. Item est eiusdem militis vinea una sita et posita in loco dicto Zangari, quam tenebat protopapa Palitii que est iuxta flumen et vineam dicti militis. Item est eiusdem militis terra una, que dicitur de Ozali, in qua terra protopapa Palitii habet terram capacitatis in semine frumenti tumulorum trium, que est iuxta terram Abbatie de Mitra et terram ecclesie rhegine. Item est eiusdem militis terra unam posita in eodem loco in qua terra habet protopapa Palitii, terram capacitatis in semine

frumenti tumulorum quatuor, que est iuxta terram Iordani Maris, terramque Nicolai Spatari. Item dixit se scire quod omnes terre que sunt de nos aperte in loco dicto Ostalapsi, sunt eiusdem militis, que sunt iuxta terras protopape Palitii. Item in loco dicto Topana, ab Aira que sunt Topana, parte superius est eiusdem militis. Item terra una de Stomico de papas Filippico, qui fuit villanis curie, que est iuxta terram Galvani de Stilo et Constantini Obedari, est eiusdem militis. Item terra una dicta de Marconali, est eiusdem militis, que fuit Enrici de Palitio, qui ad partes Sicilie suum transtulit incolatum, que est iuxta terram Ruberti Calugnami. Item est petia una terre que dictur de Matenali, que fuit Iacobi Bernardi, que est intra terras protopape Palitii et iuxta terram Bernardi Pici, qui Iacobus ad partes Sicilie suum transtulit incolatum. Item dixit se scire quod quodam petia terre dicta de Ozeli de Sitamino, que fuit Nicolai Spatari villani curie eiusdem militis. Item dixit se scire quod quedam petia terre sita in loco dicto Stretani, que fuit de bonis Apussafferri villani curie est eiusdem militis, que est iuxta terram magistri Nicolai Themuti. Item dixit se scire quod pars inferior eiusdem petie terre posite in eodem tenimento et loco cum arboribus olivarum, est eiusdem militis, que fuit quondam magistri Nicolai Thamuti villani curie et protenditur usque ad limina Santi Palitii, quam tenebat Robertus de Vittuna. Item in loco dicto Limbio sunt terre ibidem eiusdem militis, salvo terre quod Petrus Pici habet in eisdem terris terrarum capacitatis in semine frumenti tumulorum duorum. Item habet idem miles in loco dicto Calunero petiam unam terre, que fuit Philippi de Lapusa proditoris domini nostri regis. Item habet idem miles in loco dicto Santamaria et loco dicto Campovenere in confinibus predictis, que est

iuxta terram Madii terram unam, quam tenebat Nicolaus Marini. Item est eiusdem militis terra una que fuit quondam domini Nicolai de Pacto que est in loco dicto Lumiti et vallorum dictum Deamore, cum ex uno latere est villanum et via publica. Item est eiusdem militis terra una, quam tenebat Mattheus de Salda, posita in loco dicto Drizzi, in qua terra idem Mattheus habet terram capacitatis in semine frumenti tumulorum duorum. Item dixit se scire quod terra una que dicitur de Crisafi, que fuit Ioannis Crisafi qui ivit in Siciliam. Item et septima pars unius petie terre, que dicitur de Calamiti, que fuit Leonis Varvasari qui ivit in Siciliam. Item et petia una terre que est in loco dicto Munta, iuxta terram Procopi Marini, que fuit Constantini filii Crisafi, qui ivit in Siciliam. Item petia una terre que est in loco dicto Lasitari in casali Haluti, que fuit Manzurra villani quondam domini Georgii, que est iuxta terram dicti militis, apud Sanctum Andream. Item dixit se scire quod vinea una sita in loco dicto Lazzotari que est iuxta terram dicti militis que fuit Marzutta, quam tenet Basilius Longobardus pertinet ad dictum militem. Item dixit se scire quod terra una que est in loco dicto Volcano, que est iuxta terram dicti militis et terram Abbatie Mitra, que fuit Robertus Zangari villani curie, pertinet eidem militi cum successione dicti villani curie. Nicolaus Marinus iuratus et interrogatus super premissis omnibus dixit ut Basilius Spano superior testis; Petrus Masa iuratus et interrogatus super premissis omnibus dixit per omnia se scire ut Basilius Spano superior testis; Philippus Danga testis iuratus et interrogatus super premissis omnibus dixit ut Basilius Spano superior testis; Nicolaus Armeni testis iuratus et interrogatus super premissis omnibus dixit se scire ut Basilius Spano superior testis; Iordanus

Marinus testis iuratus et interrogatus super premissis omnibus dixit ut Nicolaus Marinus superior testis; Madius Palermiti testis iuratus et interrogatus super premissis omnibus dixit scire ut Basilius Spano superior testis; Nicolaus Arsinus testis iuratus et interrogatus dixit se scire quod quodam tenimentum terrarum quod dicitur Sanctus Petrus et Pantanum parvum, quod incipit a loco dicto Mabriligna et protenditur ad locum dictum Plata de Spereliga, et inde descendit ad tribonam Ecclesie Sancti Gregorii, et vadit pene costeriam vineaque Leonis, et fertur ad arborem quod est via publica, et inde protenditur ad frascinum magnum, et inde vadit per salitam balneorum, usque ad culturam dicti militis Pantani Magni, et inde ascendit per quamdam salitam, usque ad stineum magnum. Pars inferior que est versus Armeriam prout designant predicti homines et confines sunt dicti militis. Pars verso superior que est versus conderiti sunt abbacie Trahetti et secundum continentium privilegiorum abbacie Trahetti et terre que sunt in Pantano Magno, prout descendit flumen Alemum, usque ad litus maris, et vadit usque ad locum dictum Mauro Comite et viam publicam, sunt dicte terre dicti militis. Item et petia una terre sita et posita in loco dicto Mauro Comite que est iuxta viam publicam et terras bovensis ecclesie, est dicti militis. Iordanus Marsinus iuratus et interrogatus super predictum tenimentum quod dicitur Sanetus Petrus dixit se scire per omniam, ut Nicolaus Marinus superior et proximus testis. Medius Palarmiti iuratus et interrogatus super iis quibus interfuit Nicolaus Marinus dixit se scire ut Nicolaus Marinus superior testis. Leo Bisanti iuratus et interrogatus super iis omnibus quibus interrogatus fuit Nicolaus Marinus dixit se scire, ut dictus Nicolaus Marinus deposuit.

Presbyter Philippus Pittore iuratus et interrogatus super iis quibus interrogatus fuit Iordanus Marinus dixit ut idem Iordanus. Philippus Danga iuratus et interrogatus super iis quibus interrogatus fuit Iordanus Marinus dixit se scire, ut idem Iordanus deposuit. Basilio Spano de Palitio iuratus et interrogatus super premissis omnibus dixit ut Philippus Danga proximus testis. Petrus Masa iuratus et interrogatus de predicto tenimento sicut fuit interrogatus dictus Nicolaus Marinus dixit se scire ut ipse Nicolaus deposuit, excepto de terra una que est iuxta viam publicam iuxta locum dictum Mauro Comite et iuxta terras bovensis ecclesie, de qua dixit se nihil inde scire. Riccardus de Alano testis iuratus et interrogatus super premissis omnibus dixit ut Petrus Masa. Basilius Spano de Abita iuratus et interrogatus super iis de quibus interrogatus fecit Nicolaus Marinus dixit se scire ut iam Nicolaus Marinus deposuit.

Unde ad huius rei futuram memoriam et dicti militis et omnium quorum interest et interesse poterit cauthelam, et apud omnes haberi valeat plenaria fides, factum est exinde presens publicum instrumentum, scriptum et subscriptum per manus mei publici notarii dictorum nostrum qui supra baiulorum et iudicis sigillis, et subscriptionibus ac subscriptionibus testium roboratum ipsius militis petitionibus et rogatu. Actum anno, mense, die, loco et inditione premissis. † Ego Ioannes de Franchica qui supra iudex civitatis Giracii testor. † Ego Fulco Luciferus qui supra baiulus predicta testor et meum sigillum apposuit. † Ego Thomas Luciferus testor. † Ego Petrus de domino Ioanne de Cutrone testor. † Ego magister Ioannes de Neapoli phisicus testor. † Ego Ioannes de Federico testor. † Ego Iordanus

Thimina testor. † Ego Rubertus Luciferus testor. † Ego Nicolaus de Tarsia testor. † Ego Leo Giracius testor. † Ego Nicolaus Tropeanus testor. † Ego presbyter Ioannes Prillistus testor. † Ego Petrus de Stilo testor. † Ego qui supra Thomasius de Sylvestra regius publicus notarius civitate Giracii presens publicum instrumentum scripsi et me subscripsi.